

De pelagra, morbo in mediolanensi ducatu endemio / [Wilhelm Xaver Jansen].

Contributors

Jansen, Wilhelm Xaverius, 1760-1793.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : A. and J. Honkoop, 1788.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yhpuqr35>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

W. X. J A N S E N

PHIL. ET MED. DOCT.

D E


P E L A G R A ,

MORBO IN MEDIOLANENSI
DUCATU ENDEMIO.



L U G D U N I B A T A V O R U M ,
APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP ,

M D C C L X X X V I I I .



INTRODUCTIO.

Diversus in diversis climatibus apparet homo (a); variis vicitat alimentis, vario sese ornat vestitu; varium inhalat aërem, solum calcat varium, labore vario, variis quoque sese submittit moribus. Quid mirum itaque, si morbi in diversis terræ plagiis, quoque varient, ut experientia ab omni ævo satis docuit, (b) ac in dies de novo confirmat.

Sic

(a) Sunt autem in Europa gentes tum magnitudine, tum forma, tum magnanimitate inter se differentes, inquit Hippocrates in lib. de aëre, locis, & aquis Edit. Fœs. Genav. 1657. pag. 294.

(b) Hinc jam olim voluit Hippocraticus Auctor, ut Medicus regionum singularium situm & Naturam cognoscat in lib. de Dieta lib. 2. Fœs. pag. 353. Quod pulchrius

Sic Trichoma Polonus vexat, struma deturpat Alpicolas, Elephantiasis & Lepra Africanos (c), sarcocelle in Regnis Galam & Barrah frequens est (d), Helvetii præ cæteris Herniis laborant. Et si rem diligentius examinemus, nulla forte regio erit, quæ non in unum alterumve morbum peculiariter inclinet.

Verum inter omnes endemios morbos nulli forsan sunt, pauei certe, qui tantam attentionem merentur,

& prolixius explicat Divus Senex in lib. de aëre, Loc. 6^o aq. ibid. pag. 280. Idem Celsus monet in Praefatione lib. I^{mi}.

(c) Est Elephas morbus, qui propter flumina Nili Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam; inquit Lucret. lib. 6. de Rer. Nat. Quæ tamen Poëtæ verba cum grano salis accipienda sunt, cum aliæ quoque regiones ab hoc liberæ non semper manferint. Nullus tamen dubito eum Africanis annumerare, cum quocunque etiam loco repertus fuerit, illuc ex Africa venisse videatur. Quod hic per transennam.

(d) Schotte in Philosophical Transactions vol. 73 part. 1. & quæ Cl. Blumenbach ex Barbot adduxit in recensione hujus partis in sua Bibl. Med. T. 2. pag. 642. & seq. Ubi etiam iconem hujus morbi inspicere licet.

*tur, quam ille, cui vulgo Pelagræ nomen est, qui-
que Mediolanensibus rusticis tristissimam stragem
minitatur.*

*Quem morbum, cum novus videatur, ac adeo
incognitus nosris in regionibus, ut eruditissimi Me-
dici nomen Pelagræ vix cognoscant, hic breviter de-
scribendum mihi sumpsi, ut fortassis, si plurimi in
arte eruditum rem speculentur, immedicabili hucusque
morbo tandem Medicina reperiatur.*

*Nolim autem, quis descriptionem Pelagræ nume-
ris omnibus absolutam a me postulet. Incognita
morbi indoles, ac temporis, quod in hoc Ducatu
consumere mihi licuit, brevitas id prorsus vetant.
Nec tamen ingratum fore arbitror, ea, quæ aut
ipse vidi, aut ex ore Clarissimorum virorum Frank,
Moscati, Stranchi aliorumque percepiti, paucis enas-
rare.*

*Ut autem rem crordine aggrediar, in septem
Capita tractationem dividendam credidi. In pri-*

mo de morbi hujus nomine, definitione, antiquitate agam: in altero morbi descriptionem exhibeo: in tertio de Divisione ejus: in quarto de Causis: in quinto de Complicatione cum aliis morbis: in sexto de Prognosi dicam: in septimo demum, quæ de curatione dicenda sunt, absolvam.

Styli simplicitatem nullo elegantiae suco commendatam L. B. exuset, velim.



W. X. J A N S E N

PHIL. ET MED. DOCT.

D E

P E L A G R A ,

M O R B O I N M E D I O L A N E N S I
D U C A T U E N D E M I O .

C A P U T I.

De Pelagræ Nomine, Definitione, Antiquitate ac Pelagroforum Nosocomio.

Nomen Pelagræ græcæ videtur originis (*a*), ita tamen hac in regione notum, ut vix sit, qui audito nomine, morbum non cognoscat. Sunt etiam, qui eum *mal del sole* appellant.

Optime eum definiri arbitror: quod sit morbus endemius, verno tempore macula rosea in dorso manus plerumque se primo manifestans, hyeme disparente, sed quæ sequenti anno haud raro gravioribus stipata symptomatibus recurrit,

tan-

(*a*) Auctor vocis, ejus origo, ac Etymologia æque incerta videntur. An à πέλας, ut ἐρυθίπελας?

D E P E L A G R A

tandem melancholia, mania spasmisque comitata mortem vix non semper inferens.

Ad quam morborum classem in recentiorum Nosologiæ systematibus reponi noster morbus debeat, non scrupulose disquiro, utrum Lepræ Mediolanensis nomine eum salutare, an potius inter Ephelides, an inter Melancholias recipere velint, indifferens.

De Antiquitate hujus morbi inter Medicos Mediolanenses non parum disputatur. Novum alii, alii jam multis ab hinc seculis cognitam fuisse Pelagrum volunt: eadem fere lis est, quæ de morbo venereo. Si scripta veterum pervolvamus, nihil, quantum novi, de eo adnotatum reperimus. Quin & nostro tempore vix descriptus est, & Auctores, qui de eo typis aliquid mandarunt, tum incompletas descriptiones prodidere, tum in nostra Patria adeo rarissunt, ut nec in Catalogis, nec in bibliothecis habeantur. Sunt autem, ut mihi relatum fuit, sequentes: Gio. Marc. d'Oleggio (a*), Gherrini, P.

Ma-

(a*) *Tr. Teor. Prat. delle malattie dell'insolato di prima vera volgarmente dette della Pellagra.* Vanese 1784.

Moscati, qui autem plura de novitate, quam de morbi indole refert, & Frapolli (*b*), qui pri-

mus.

(*b*) Piores tres Tractatus videre mihi non licuit, & frustra eos in Bibliopoliis Mediolani quæsivi: solum Frapolli libellum ex auctione librorum viri Cl. J. N. Cranz possedeo, qui sub titulo *Physici Francisci Frapolli Mediolanensis Nosocomii majoris Medici Animadversiones in morbum vulgo Pelagram*, Mediol. 1771. in 8vo sat mancam Pelagræ descriptionem 37 paginis comprehendit. Præterea nuperrime amicissimus mihi Doct. C. G. van den Heuvell brevem hujus morbi descriptionem, à Doct. Hollenhagen Medico Mittaviensi meo itineris socio sibi communicatam dedit in novo suo systemate Nosologico, cui Titulus: *Terrenen Nosologicum sistens morborum à virtus vitalis divisionem & dispositionem practicam à maxime fundamentali morborum parte, quantum per abditam multorum Naturam licuit, desumitam, pro gradu Doctoratus defensum L. B. 1787 pag. 415*, Ubi hunc morbum, dubitanter tamen, inter eos collocavit, qui ab actione vis vitalis morbosa anomala ortum habent. His tamen, nisi fallor, addenda videtur Cl. Thieri descriptio morbi cuiusdam, qui in Hispania Asturiæ incolas infestat, ab illis *Mal de la Rosa* appellatus, facta enim accuratissima comparatione morbum hunc *mal de la rosa* dictum, aut ejusdem plane Naturæ, aut Pelagræ valde similem esse affectionem, mox appareat. Aliqua tamen differentia adhuc intercedit. Sic Asturiensis morbus cutim magis descedare videtur, quam Pelagra. Tremor ille capitis ac trunci superioris, quem ægros impedire scribit Cl. Thieri, quominus recti stage valeant, quantum novi, in Pelagra non observatur,

mus, ut inquit, (c) de eo peculiariter scripsit. Nec tamen desunt eis, qui pro antiquitate dimicant, argumenta, quibus eam quodammodo probare annituntur. Inter Ordinationes, quæ a capitulo Nosocomii majoris Mediolanensis editæ sunt, habetur una Anni 1578, quæ sic habet: *che quelli, che seranno infermi di Pellarella, Croste, Gomme, e piaghe siano accettati, avendo pero il mandato sotto scritto.* Vocabulum Pellarella Pelagram interpretantur. Quod dubium etiam proponit Frapolli, dum inquit: *Declareni nunc erudi- ti, an terminus ille pellarella pelagram hanc no- stram designet, nec ne: si affirmative sentiant, non adeo recens erit morbi epocha &c.* (d) Ad me quod attinet, potius hic Pilarellam (e) quam Pe-

aut saltem rarius. Nec oris ardor, ac labiorum ulcuscula Pelagrosos molestant. Descriptionem autem hujus morbi dedit Cl. Thieri in scripto periodico Parisiensi, cui titulus *Recueil Periodique d'Observations de Medicine, de Chirur- gie, & de la Pharmacie à Paris chez J. Barbon T. 2.* pag. 337, qui ~~aus~~ tomus jam prodidit 1755.

(c) Lib. cit. pag. 10.

(d) Lib. cit. pag. 11.

(e) In Lue venerea, quando non solum superciliorum,
sed

Pelagram intelligendam crederem. Mirum sane foret Medicos veteres, qui in describendis cutaneis morbis tantam collocarunt diligentiam, de hoc penitus tacuisse, cum inter eos non deficiant Itali. Frustra de eo aliquid quæres apud Mercurialem, frustra apud Falloppium, frustra apud alios priorum seculorum Auctores, ne dicam apud Græcos aut Arabes. Neque sub alio nomine nostri morbi decursum unquam à veteribus descriptum legi, quod factum fuisse credit cl. Frapolli (f). Sunt certe morbi cutanei ab antiquissimis Auctoribus jam descripti, qui aliquam cum nostro morbo similitudinem habent, si maculas cutisque asperitatem solas spectas; verum si reliqua horrenda symptomata simul conferas, toto cœlo differunt. Pro novitate dimicat cl. Moscati, qui certo mihi affirmavit, se ultra 30 aut 40 annos nulla infallibilia morbi hujus vestigia
un;

sed & barbæ & capitis partes pilis denudantur, Peladam sive Pilarellam vulgus vocat. *Hassenreffer in Nostochio cu-*
us pag. 68.

(f) Lib. cit. pag. 12,


quam reperiisse. Contra cl. Stranchi longe antiquorem esse morbum confirmat, cum saepe ex ore pelagrosorum ipse percepit, parentes ac avos eorum jam ante 60 annos morbo hoc laborasse aut periisse. Frapolli ex eo capite pro antiquitate dimicat, quoniam semper existit causa eadem, subiecta eadem, cur ni iidem effectus? Cum autem multa sint, quae causam, quam Auctor hic pro certa ac indubitate venditat, admitti penitus prohibent, corruit quoque haec argumentatio. Quidquid sit, id certum est, ante multos annos non tanta copia existisse pelagrosos, ac indies multiplicari, ita quidem, ut si cœpto furore malum perget, tandem depopulationis metus sit. Nam in plagis, ubi vehementissime sævit, inter centum incolas quinque pelagrosos reperiri, cl. Stranchi calculavit. Hinc quoque Imperator ægrorum saluti quam maxime prospiciens in oppido quodam Lignanum (Legnano (g) Itali scribunt) dicto Nosocomium pro

fo-

F (g) Est hoc oppidum 15 circiter milliaribus Italicis ab urbe Mediolano distatum versus Lacum majorem ad Olonam Amnem, non confundendum cum alio in ditione Veneta ad

Iis Pelagrosis construi voluit, quod quadraginta semper ægros continet, cui Medicus præest cl. Stranchi, cui pro præstita nobis humanitate publicas hic grates refero. Verum ne & aliis Medicis occasio defit morbum examinandi, in omnibus nosocomiis tam Mediolani, quam Paviæ Pelagrosos decem ad minimum admitti voluit Imperator. Atque ut in examinando hoc morbo Medicorum fervor magis incitaretur, præmia quoque promissa sunt iis, qui aptam Pelagræ Medicinam invenient.

Ad accuratiorem morbi descriptionem nunc progredior.



C A P U T I I.

Pelagræ ejusque Symptomatum Descriptio.

Inneunte vere, mense nempe Aprili aut Martio (ipso etiam Februario in illis, qui prima vice malum patiuntur), ubi ad colendos campos rusticum
ad Atagem fluvium, cui idem nomen tribuunt Itali. Ad Nosocomium ipsum quod attinet, nihil habet peculiare ampla descriptione dignum,

tempus invitat, subito s^epe accidit, ut in manuum dorso rubor splendens sese manifestet, erysipelas aut rosam mentiens, absque multo pruritu, (a*) absque magno dolore (a), absque omni molesto symptomate. Viri ^æque ac mulieres, pueri puellæque morbo huic subjecti sunt. Plerumque hæc macula manum utramque afficit illæso toto reliquo corpore; neque tamen hoc perpetuum est: haud raro etiam tibias occupat, aliquando collum, quin aliquando ipsam faciem, licet rarissime: apud mulieres nonnunquam supra ubera visa fuit, quo usque vestibus non teguntur. Partes autem Corporis aëri non expositæ, immunes ab hoc vitio existunt. Nec unquam pedis planta, aut manus palma afficitur (b). Rubra autem hæc macula cutim paululum elevat, parvula varii col-

(a*) Emorentiæ latæ non admodum pruriginosæ: Hipp. aph. 9. secl. 6.

(a) Hoc iterum Pelagra differt à morbo Asturiensi, ubi dolore magnum percipi, scribit cl. Thieri.

(b) In Asturia autem abdomen, pectus, aliæque partes non liberae manent à *mal de la Rosa*. Verum si alias, quam metacarpum aut metatarsum partes corripiat, tunc non eo nomi-

Ioris tubercula crebro elevantur, pellis exsiccatur, rimas agit, Physiologo quandoque observatu non ingratas, cum epidermidis fibras clarissime ostendat (c). Desquammatum tandem corrofa cutis, deciditque in squamas albas furfuraceas: splendor tamen in loco desquamato aliquamdiu adhuc persistit, & in nonnullis tota fere hyeme splendet illa macula. Interim, exceptis defœdatis hisce partibus, toto tempore sanus permanet homo, rustica sua munia absque incommodo obit, apposita quæcunque appetit, comedit, digerit sine detrimento. Alvus plerumque laxa jam ab initio morbi observatur, & per totum Pelagræ decursum ejus laxitas continuari solet. Reliquæ se & excretiones sanæ, ipse mensium fluxus in pelagrosis feminis, nisi alia subveniat causa, a justa periodo ac
men-

nomine ab Incolis appellari, monet cl. Thieri. Sic ibi quoque haud raro singularis figuræ monile repræsentat, quod tamen posteriorem Colli partem ad musculum Trapeziun liberum relinquit.

(c) Non autem in omnibus pelagrosis fibræ hæ distingui adeo clare possunt, raro talis casus sese offert.

mensura non deflectunt. Sed, quod maxime mirum est, elapsō æstivo tempore, mense septembri, citius in aliis, in aliis serius, in nonnullis, præcipue si malum adhuc in cunis hæreat, jam exeunte Mayo aut Junio penitus evanescit malum, redit cuti naturalis constitutio ac firmitas. Sed utinam penitus jam periculo vacarent miseri! Abscondit se hyeme malum, aufugit raro. Vix enim revertitur vernum tempus, mox quoque præsto est pristina macula, & quidem sæpe pejoribus nunc comitata symptomatibus. Incrementa capit morbus, magis rugosa, callosa cutis evadit, rimis referta notabilioribus. Capite laborare nunc incipiunt ægri, timent, mœrent, labores minus ferunt, iisque perfectis insignem sentiunt lassitudinem. Ad aëris varietates maxime sensiles sunt, frigoris æque ac caloris impatientes. Nihilominus sua adhuc munia subire plerumque valent, non equidem eo, quo solent animo, ast lectum tamen petere nondum coguntur, cum febris penitus absit, appetitus vigeat, viscera chylopoietica adhuc fana sint. Etiam hunc in statum cum devenerit Pelagra,

apparens sanitas hyeme plerumque redit. Sed quo pejora symptomata sint, quo fortiores radices egerit malum; eo certius adventante vere iterum apparet majori vehementia. Disparat aliquando cutaneum malum remanentibus reliquis symptomatibus. Vires nunc animi cum corporis indies magis prosternuntur; morositas, vigilæ, vertigines similiaque, ac tandem melancholia summa accedunt. Nunquam forte tristiorum melancholiæ quis viderit, quam hoc in morbo. Nosocomium, quod Lignani est, ingressus attonitus tristissimam hanc scenam adspexi, præcipue in cubiculo quodam, ubi feminæ asservabantur: sedebant omnes otiosæ, languentes, vultu prostrato, oculis mœrorem spirantibus, absque causa lacrymabantur, interrogatae vix respondebant. Crederes primo obtuitu non nisi fatuas, ac dementes coram habere, nec multum à vero aberrares; sensim enim sensimque increscit hæc melancholia, ac tandem in veram maniam abit. Multi peculiari ac charactristico quasi sudore perfunduntur, ut in dicto nosocomio observare mihi licuit: sudor hic odorem

spargebat fœtidissimum, quem melius comparare non possum, quam illi, qui ex pane mucore correpto percipitur, ita ut peritus solo olfactu in illis morbum facile detegat. Multi ad plantas pendum ardorem sentiunt insignem noctu sœpe somnum auferentem. Alii visum duplicem, alii faintatem, alii viscerum abdominalium obstructiōnem, alii alia patiuntur. Abest tamen adhuc febris, viget appetitus, secretiones plerumque naturalem adhuc ordinem sequuntur. Sed indies augetur morbus, nervi quam maxime debilitantur, crura, femora motum omnem amittunt, accedit sopor, delirium, atque melancholia nunc in veram maniam abit. In Lignanensi nosocomio in variis cubiculis tam virorum, quam seminarum delirantes ac maniacos hos conspicere lieuit: alii sine furore tranquille cubabant, alii vero furiosi, ne sibi aliisque nocerent, chordis lecto affixi hærebant; in his fere omnibus pulsus erat parvus, tardus, absque omni febris indicio. Una aderat femina furoris uterini levioris specie laborans; hæc ad aspectum viri maxime lætabatur, ridebat, oscu-

ia offerebat, & omni gestu, ut appropinquarent, invitabat. Nec deērant, qui continuis precibus occupati devotiam insignem simulabant, alii risu delectabantur, alii aliis. Sed id notatu dignum videtur à Cl. Moscati observatum, quod in hac mania delirantibus omnibus aquis sese suffocandi voluptas summa sit, in quo convenit cum melancholia Anglorum Sauvagesii & Sagarii. Emaciantur summopere & tabis species sæpe delirium presso pede insequitur. Diarrhoea accedit colliquativa, nullis suppressa remediis, & quidem hæc diarrhoea inter constantissima Pelagræ symptomata pertinet, quod mirum nemini videbitur, cum in melancholiis, præcipue iis, ubi singularis tristitia mentem exagitat, ut etiam in Nostalgia, frequentissime diarrhoea scenam claudat. Sic in exercitu Borussico sæpe Nostalgiam aut tristitiam diarrhoea lethali terminatam vidi Ill. Baldinger (*d*), & quem hic citat, Baglivius (*e*) incurabiles fere has diarrhoeas

pro-

(*d*) Von der Krankheiten einer Armee. Langenzalz 1774.
pag. 454.

(*e*) De Praxi Medica lib. I. cap. diarrh. & Dysent.

pronunciavit. Quandoque in Pelagrosis hæc diarhœa delirium antecedit. Facilis quoque ex delirio transitus in soporem, & vice versa. Appetitus quandoque subito evanescit, ita quidem, ut sex dies non raro absque omni cibo transigant, non raro subito reddit, & suum adinstar in deplorabili hoc statu oblata quæcumque consumunt, quin aliquando inter horrendas convulsiones à cibis non abhorrent. Convulsiones autem, quibus miseri bī corripiuntur, visu sunt terribiles, & nulla forte convulsionum species existit, quæ non quandoque pelagrosos adoritur. Sic vidi puellam in lecto cùbantem, quæ quotiescumque erigere se volebat, opistotonō vehementissimo torquebatur, alii emprostotonō, alii aliis Tetani speciebus succumbebant (*f*). Tandem animi deliquium, & demum mors desiderata tragœdiā claudit, quin sæpe febris vestigia toto morbi decursu habeantur.

C A

(*f*) De Catalepsī tamen dubito, an unquam in nostro morbo observata sit, saltem nihil de ea audivi, aut adnotatum inveni. Verum an hæc inter morbos convulsivæ pertinet?

C A P U T I I I.

Divisio Pelagræ.

Enarrata nunc morbi Historia, patet, Pelagram commode, ut jam animadvertisit Cl. Frapolli (g), in tria dividi posse stadia. In *Initiatam* nempe in *Confirmatam*, *Desperatamque*.

Initiatam voco, ubi absque reliquis symptomatis, macula illa rubra, splendens sese ostendit in carpo aut partibus soli expositis, ubi cutis rimulas agit, ac in squamas decidit furfuraceas. Durat hoc stadium in nonnullis per plures annos, ita quidem, ut reperiantur, qui sex, octo imo quindecim annos in primo Pelagræ stadio versantur, dispidente omni hyeme malo, ac verno tempore recurrente: tuncque rustici diuturnitate morbo adsueta, penitus saepe negligunt malum, quod praeter cutis defœdationem vix aliquid incommodi affert

(a) Lib. cit. pag. 19.

fert. Sed non omnes fruuntur hac felicitate, sunt enim contra, in quibus mox altero, tertiove anno in confirmatam Pelagram transit.

Confirmata autem Pelagra est, ubi priori symptomati, quod jam exasperatur cute callosa existente, rimasque profundiores agente junguntur timor, mœror, vigiliæ, lassitudo, & malo in desperatam vergente mentis oblivio, deliria hypochondriaca, alvi fluxus copiosior, mania, virium defectus. Ubi autem comatosæ simul affectiones, febris, convulsiones, diarrhœa colliquativa contumax, summa Corporis macies, tabis species, ac animi deliquium accedunt, *desperatum* penitus malum, & certa mors brevi expectanda est.



C A P U T I V.

De Causa Pelagre.

Nihil in Praxi medica difficultius, nihil obscurius ac falsis hypothesibus, commentisque magis de-

descedatum adhuc hodieum existit, quam causarum Doctrina. Tot Physiologorum, tot Anatomicorum observationes, quibus recentior Medicina superbit, licet Peripateticorum occultas qualitates, Chemicorum fermentationes, Mechanicorum distensiones, relaxations similiaque è Doctrina medica fere expulerint, causam tamen proximam plurimorum morborum enodare nondum valuerunt. Quot non morborum genera nostris etiam temporibus humorum corruptioni, acrimoniæ &c. adscribuntur, in quibus nihil ejusmodi existit? Ut autem in omnibus fere corporis humani affectibus causa proxima latet, sic quoque in Pelagra. Id tamen, si symptomata diligentius perpendam, affectum esse aut per nervos cerebrum, aut hos à cerebro enunciare non dubitem. Omnis enim læsio, quæ hoc morbo in humana machina producitur, ad animales, ut vocant, functiones pertinet, reliquæ vigent; nihil enim in digestione, in chylopoiesi, nihil in sanguinis circulatione, in se- et excretionibus observatur, quod non naturale sit, nisi eousque tandem debilitati sint nervi & ce-

rebrum, ut necessario reliquas corporis partes in consensum trahant. Sed quis jam demonstret, in quanam corporis parte fomes nervorum sistema tantopere debilitans hæreat? An in hypochondriis? an in ipso cerebro? an in alia corporis parte? Ignorantiam lubens hic fateor. Qui periodicos morbos ex labore qualicunque viscerum hypochondriacorum ortum habere docent, (a) illi certe Pelagræ quoque somitem in hisce visceribus quærent. Morbus enim noster in primo saltē stadio singulis annis recurrens periodicis quodammodo annumerari meretur. Cui sententiæ calculum quoque adjacent, qui Exanthematum fontem, plerumque saltē, si non semper, in sordibus primarum viarum, aut viscerum abdominalium affectione positam esse contendunt, quam sententiam copiose non mi-

nus

(a) Vid. Diff. Inaugur. M. G. Neuville de *Indole morborum Periodica ex labore qualicunque viscerum hypochondriacorum dirivanda* Gött. 1784. Et sympathiam viscerum abdominalium cum reliquis partibus fontem plurimorum morborum esse, nuper probavit *Von der Sympathie des Verdauung-systems*. Götting. 1785.

nus ac docte demonstrare annis est amicus quoniam noster Welti (*b*), quem præclarum juvenem Parisiis Nostalgia confectum præmature fatis cessisse, saepius doluimus. Et sane hæc sententia speciem quandam veri præ se fert; etenim si affectionem cutis, qua pelagrosi laborant, cum Erysipelate comparemus, insignem reperies similitudinem, hanc autem non recentiores tantum, sed & veteres optimi Medicinæ auctores à bile repetere non dubitarunt: hi quidem à bile sanguini admisto; dum illi quoque bilem, quasi bilem (materiam biliformam Cl. Stollii) in ipsis ventriculo, ac intestinis hærentem similia cutanea mala per consensum producere posse experientia didicerint. Neque tamen hæc sufficere mihi videntur, ut causa nostri morbi in abdomen indubitabiliter figatur. Etenim qui perpendit, nullum plane præter dicta occurrere signum, quod vitium in hypochondriis hærere vel suspicari liceat, is certe facillime in aliam partem deflectet. (*c*)

Sed

(*b*) Diff. Inaug. *Exanthematum fons abdominalis* Gött. 1784.

(*c*) Argumentum enim ex alvi laxitate rem minime evincit.

Sed non proxima tantum nostri morbi causa latet, remotiores simili plane obscuritate obfunduntur. Quæ enim corporis dispositio hujus morbi susceptioni favet? Quid, & qua occasione in Copus invehitur illud, quod tantas in nervorum systemate, in tota humana machina perturbationes producere valeat? An ardens æstate Calor? An alimentorum perversa indoles? An paludosus aër aut soli humiditas? An Miasma aliquod? Cl. Frapolli ab ardentibus solis radiis unicam morbi causam provenire numerosissimis argumentis demonstrare studet. *Nonne (inquit) satis evidens & unica causa insolatio?* (d) Argumenta autem, quibus hanc sententiam stabilire annititur, nullius sunt momenti. Primum enim quod assert, hoc est: Non ab alimentis, non ab animi pathematibus, non à laboribus Pelagra nasci potest, ergo unica causa est Insolatio. Alterum argumentum ex Sennerto (e) desumit, ubi

Auctor

(d) Lib. cit. pag. 14 & seq.

(e) Pract. lib. 5. part. 3. sect. 1.

Auctor ille Clarissimus ait: *Ephelidum primum genus est notus ille affectus, nigredo scilicet illa, quam Germani Sommerbrand appellant, in facie, manibus, & partiis aliis radiis solis expositis, ab ardore solis contractis &c.* Cum itaque jam veteres varias Epidermidis alterationes à solariis radiis dependere arbitrati sint; cur non & Pelagræ causa in illis quæratur? Quam debilia autem, quam inania hæc sint argumenta, quisque satis videt, vixque refutatione opus est. Accedit præterea argumentum, quod penitus sententiam hanc evertit: nempe, si à sola insolatione morbus dependeat; cur non in inferiori Italia, cur non in aliis calidissimis terræ plagis idem morbus sœvit? cur, si forte Asturiam excipias, in solo Mediolanensi Ducatu? Accedit præterea, quod ii, qui primo morbum patiuntur? sœpissime ipso Februario jam macula illa defœdantur, ut supra jam dictum fuit: mense autem Februario certe tantus nondum est caloris gradus, ut adeo periculosum effectum excitare valeat. Et sœpe in illis jam Majo aut Junio mense sanitas reddit,

ita,

ita, ut, dum vehemens caloris æstus corpora exurit, sani jam iterum vivant. Sed videamus, quomodo ex assumta hypothetica hac causa morbum ejusque effectus omnes explicet: Cum enim (inquit) *sol servidiores fibrans radios subjecta si- bi agricolarum Corpora diu exagitet, acriusque perturbet; nimium inde rarefunt collecti per hyemem humores, canarium tunicæ plus æquo disten- duntur, exhalantes cutis poruli violentius dilatan- tur, transpirabilis materia vi cordis vasorumque impulsu ad ipsos indefinenter confluit, ut qua exi- tus patet permixte & confuse diminant.* Quinam igitur poterit tanta hæc eliminari copia? Nonne extremitates ultimorum, minimorumque tubolorum enervari? Nonne aliquam copiosissimæ transpira- tionis partem in hisce stagnare? Nonne cæteræ necessè est sequi symptomata superius indicata initiatæ Pelagré? Quodsi continua solis actione, aut peculiari cutis dispositione exhalantes poruli omni- no obliterentur, cutisque rugosa, callosaque fiat; nulla tunc in affectis partibus transpiratio, hinc tot confirmatæ ægritudinis accidentia. Porro

ma-

maiores minoresve sunt Pelagreæ effectus, juxta majorem minoremve cutis alterationem, uti docet experientia. Concludendum ergo, unam esse eandemque morbi causam Insolationem (f). Sunt adhuc multa in hac explicatione, quæ refelli hic possent, verum ne tedium lectori creem, ad ulteriorem causæ indagationem progredior. An itaque vietus perversus, aut labor durus tenuibus alimentis conjunctus morbum nostrum producere valeat? Certe veritatis speciem habet hæc opinio à non paucis adoptata; siquidem, si Pelagrosos contemplemur, eos fere omnes ex minori hominum forte, ex rusticis, ex plebejis esse deprehendemus, qui laboribus sub dio quotidie exponuntur, alimentis duris, saepe ex oryza, quæ in hac regione copiose crescit (g), vicitantes.

Ast

(f) Ex hac explicatione videre licet, quam facile sit, ex hypothetica & falsa quavis causa morbum explicare.

(g) Oryzam si paulo majori quantitate assumatur, non facillimæ digestionis esse, ex experimentis, quæ Cl. Bergius in sua *Mat. Med.* refert, concludi, ni fallor, licet. Sed præterea Cl. J. Bonitus refert: Calidam Oryzam non solum noxiæ esse ventriculo, verum cerebro, ac univer-

Ast hæc causa huic regioni propria non est, in omnibus fere terræ, saltem Europæ plagis hujus generis homines & duris laboribus & alimentis dyspeptis farinaceis destinantur. Neque in universum verum est, solos rusticos, ac plebejos huic morbo subjectos esse, rarius quidem, sed tamen non nunquam ditiores, bene viventes etiam invadit. Sic narravit mihi Cl. Stranchi se cognovisse sacerdotem, canonicum satis bene viventem, laboribus nunquam defatigatum, qui tamen diro hoc morbo laboravit. Præterea si ex hac causa atrox hic morbus nascatur; cur sordium primarum viarum, aut aliorum symptomatum, quæ ex inconvenienti diæta ortum habent, nullum hic sese offert? Attamen nimiam oryzæ calidæ ingestionem aliquid ad nostrum morbum conferre posse, non inficior. His enarratis causis probabilior

so nervorum generi, hinc quoque nervos opticos sœpe instantum obstrui, ut cæcitas inde oriatur, hinc etiam non facile Javanos ac Malayos edere calidam Oryzam. *De Medicina Indorum lib. 2. dialog. 3. pag. 41 & 42. in Edit. 4a. adjecta est operi Prosp. Alpin. de Med. Ægypt. L. B. 1718.*

lior forte nonnullis videbitur soli humiditas ac
aer paludosus. Etenim negari non potest, Duca-
tum Mediolanensem aquis stagnantibus etque ac
fluentibus ubique abundare. Quanta autem mala
paludosus aer hominum sanitati inducere valeat,
novit jam olim Hippocrates (*h*), & paludes aquas
deterrias vocavit Columella. (*i*) Et veteres
Romani hac ex causa in paludum exsiccationem
non exiguum collocarunt diligentiam (*k*). Neque
earum noxam ignorarunt recentiores: Cl. Lanci-
sius (*l*) fere exhausit hanc materiam: Cl. Cul-
len (*m*) ex aere paludofo frequentissimam inter-
mittentium febrium omnis generis causam desu-
mit,

(*h*) In lib. de aere, locis & aquis.

(*i*) De re rustica lib. I. Cap. 5.

(*k*) Tarquinius Priscus jam exsiccavit paludem in urbe
jacentem. Scaurus consul exsiccavit aliam ad Padum flu-
vium. Marcus Curtius Dentatus Reatinæ paludis exsicca-
tioni incubuit.

(*l*) De noxiis Paludum effluviis eorumque remediis libri
duo. Et in Diss. de nativis deque adventitiis Romani cœli
qualitatibus, passim.

(*m*) First Lines of the Practice of Physic vol. I. Edinb.
1778. §. 82. pag. 68.

mit, atque harum febrium differentias ab intensitate miasmatis paludosí vel ejus in dato spatio quantitate produci credit. Neque lectu inutilia sunt, quæ de horum effluviorum noxa nuper protulerunt P. Orlandi Medicus Romanus (*n*), & Dazille (*o*) Medicus in St. Domingo. At si Auctores omnes proferre vellem, qui de noxis stagnantium, ac morbis inde ortis scripserunt, insignem doctissimorum virorum Catalogum recenserem. Sed si omnes hos pervolvamus, nihil, quantum invenire potui, habent, quod aliquam cum nostro morbo similitudinem ostendit. Verum objicere quis posset; omnes illi morbi, qui in Auctoribus recensentur solis stagnantium effluviis ortum suum debent, aliud autem quid in Mediolanensibus rusticis obtinet, hi enim, cum oryzam, quæ non nisi in agris aqua inundatis crescit, quam maxime colunt, non tantum ef-

flu-

(*n*) *De exsiccandarum Paludum Portinarum utilitate*
Romæ 1783.

(*o*) *Observations générales sur les Maladies des climats chauds.* à Paris 1785.

fluviis, verum & ipsi aquæ stagnanti sæpe expōnuntur. Non omni robore destitutum hoc argumentum videtur. Verum qui cespites effodiunt in Hollandia, toto sæpe die pedes aquis pessimis inmersos tenent, nec tamen ibi unquam aliquem morbo nostro laborasse audivi. Accedit adhuc, quod illæ ducatus partes magis Pelagræ obnoxiæ sint, quæ elatiori solo gaudent, & paludosæ aquæ, aut aëri non expositæ, ut observavit cl. Stranchi. His itaque pensitatis patet, à sex rebus non naturalibus (ut cum scholis loquar) morbum deduci hactenus non potuisse. Certum quidem est, subesse vitium aliquod earum rerum, quibus homines carere nequeunt, sed hoc vitium sensibus patere non videtur, & ex cognitis qualitatibus derivari nondum potuit. Hinc melius est ignorantiam fateri, quam ex falsa & hypothetica quacunque causa morbum explicare, ne majoribus erroribus ansa præbeatur.

Supersunt adhuc aliæ dirimendæ quæstiones, nimirum: an contagiosus sit hic morbus? an hæreditarius? an endemius, an in nullis aliis

regionibus observetur? Ad contagium quod attinet, nulla certa observatione constat, hominem sanum à Pelagroso unquam infectum fuisse, quin potius certo statuendum videtur, omni contagio carere Pelagram; constat enim, plurimas uxores laborare inveterato etiam morbo, sano interim marito, & contra. Sæpe in tota familia unus pelagrosus, reliqui sani; aut in pelagrofa familia unus alterve sanus haud raro reperitur. Et Frapolli ægrotos confirmata Pelagra laborantes non semel vidit in eodem cum sanis lectulo ad plures dies cubasse, æstivo utplurimum tempore, & nulla inde facta in alios hujuscemodi morbi transfusione. Hinc etiam inquit: *neminem arbitror somniaturum, Pelagram morbum esse contagiosum (p).* Veruntamen Medici Mediolanenses nonnulli rem extra omne dubium positam nondum credebant, cum sufficientia hac in re experimenta adhuc desiderarentur.

Sequitur nunc altera quæstio profundius sepul-

tà tenebris. Nimisrum vtrum hic noster morbus inter eos pertineat, qui ex parentibus in prolem, serumque nepotem migrantur? Novi equidem, diatheses hæreditarias hodie à nonnullis penitus rejectas; sed meum non est, hic multum contendere pro veritate rei, cuius existentia tot indubitatae observationes clarissime ostendunt, licet modum, quo fiat, ignoremus. Nonne Phthisin, Podagram, Epilepsiam plurimaque alia mala per seriem descendantium quandoque continuari vide-
mus? Quid quod majorem admirationem mere-
tur, à Patre, illæso filio, in nepotem transire? ut
jam olim animadvertisit Plinius (*q*), & recentiores
innumeri confirmant. Magis adhuc elucescit hæ-
reditaria hæc potestas si nationum spectemus va-
riatem. Licet enim clima tandem nationali suo
habitu stirpem hominum peregrinam induere vi-
deatur, multæ tamen generationes ad hoc deside-
rantur (*r*). Et Æthiopes in nostra etiam re-

gio-

(*q*) Lib. 7. cap. 12.(*r*) P. Camper Nede über den Ursprung, und die far-
be der schwarzen. Dersere kleine schriften. I Band. I Th.
pag. 38 u 39.

gione proles generant nigras omnibus characteribus instruetas, quibus hæc gens ab Europæo se se distinguit, quos tam accurate discripsit cl. Sömmering (*s*). Europæus contra in calidissimis Africæ plagis prolem edit albam, Europæo similem. Gens Judaica inter nos per plura secula conversans, suo adhuc charactere se se distinguit. An hæc fortuito? Majora certe hæc sunt, quam quæ à nostro ingenio capi possunt. Verum contemplemur semen germe, quibus has hæreditates acutissime comparavit cl. Gaubius (*t*): quis, nisi expertus, in exigua hac massula excelsæ futuræ arboris rudimentum latitare crederet? Quis in seminibus per annos etiam ducentum asservatis resuscitari posse sopitum germe (*u*) vel unquam somniaisset? Attamen vera hæc sunt experientia teste. Cum itaque hæreditaria hæc

vis

(*s*) Über die körperliche verscheidenheit des Negers von Europäer. Ffurt und Mainz. 1785.

(*t*) Instit. Patholog. L. B. 1781. pag. 396.

(*u*) Vid. van Swieten *comment.* in H. Boerh. *aphor.* T. 4. pag. 338.

vis tot gravissimis nixa observationibus adeo certa sit, ut nullus dubitationi supersit locus, cum tot ægros morbo etiam non contagioso laborantes huic soli originem sui mali debere, constet; non improbabile videtur, eam ad producendum nostrum morbum plurimum pollere. Sed aliud longe voluit Cl. Stranchi, nimirum unicum morbi causam in hæreditate ponit, atque illos, qui sanis procreati sunt parentibus, securos omnino à Pelagra arbitratur. Plurimos, quos examinaverat, ægros sibi fassos fuisse affirmabat, parentes eodem quondam morbo laborasse aut periisse, illi autem, qui hoc negarunt, illud nescivisse credit. Verum non adeo probabilis hæc mihi videatur sententia; quotquot enim novimus morborum genera, nullum inter illa existit, quod ex sola hæreditate originem trahit, ita ut ab aliis causis produci non possit. Ut diligentiori ac diuturno causarum examine certius aliquid in posterum de hac re enunciari possit, sperandum est. Restat, ut inquiramus, an endemius noster morbus sit? an in nullis aliis regionibus simile quid obser-

vetur? Sporadicum hunc morbum esse, contendit Cl. Frapolli nec epidemium nec endemium; inquit enim.: (v) *Num igitur Pelagra morbus Epidemicus aut endemicus? Neutrum videtur. — An morbus sporadicus? utique. Pelagra enim nec universim grassatur, nec alicui regioni pecularis est, agricolasque in nostra hac Insubria hic & illic indiscriminatim aggreditur &c.* Nemo arbitrator opinioni huic calculum adjicit: rationem enim, quæ Auctorem induxit, quare nulli regioni peculiarem esse morbum scribat, non video. An ideo forte morbum endemium esse negat, quia in toto Mediolanensi ducatu sparsim observatur? An ad morbum endemium requirit, ut in minima quadam parte regionis tantum observetur? Aut putat forte, in omnibus aliis terræ partibus non minus, quam in hoc ducatu, Pelagrum rusticos vexare? Ultimum videtur, nisi enim hac in opinione versaretur; non adeo audacter solum æstatis ardorem pro unica morbi causa


ven-

(v) Lib. cit. pag. 13 & 14.

venditasset. Verum cum hic morbus adeo incognitus sit, nec in ulla alia regione, si Asturiam excipias, quantum novi, observetur, morbis endemis eum omnino adnumerandum censeo. Quin & Epidemius certo sensu dici potest.

Sed hæc de causis dicta sufficient: si forte illarum enucleationi diutius, quam par est, immoratus fuerim, B. L. me excusatum habeat, velim.

Videamus nunc, quam faciem Pelagra aliis complicata morbis præ se ferat.



C A P U T V.

De Complicatione Pelagræ cum aliis morbis.

Quam facilis, quam felix foret Medica Praxis, si morbi semper solitarii incederent, nec unquam conjuncta manu mortales aggrederentur. Sed eheu! tot sunt morborum complicationes, ut vix habeatur æger, qui uno simplici morbo labora-

re dici possit. Hinc supervacuum forte hoc caput nonnullis videbitur, quoniam in infinitum procedendum foret, si omnes, quæ cum nostro morbo coïncidere possunt, affectiones enumerare vellem. Verum eos hic duntaxat recensebo, quæ eum haud raro comitari observati sunt, & ejus indoli lucem aliquam afferre videntur. Sunt autem illi morbi duplicis, ni fallor, generis, vel enim immediate à Pelagra ortum habent, vel ab aliis causis pelagrosis accedunt, Pelagra etiam non præsente accessuri. Ad primum genus referre eos, qui jam secundo capite recensiti sunt, nullus dubito, qui in ipsa Pelagra causam suam fundatam habent, & non secus ac symptomata hujus morbi contemplari merentur.

Ad alteram autem classem pertinent Febres variæ, præcipue Intermittentes, Arthritis, Rheumatismus, Scorbatus, Phthisis, quos omnes affligeret miseros in Nosocomio Lignanensi observavi. De singulis videamus.

Morbum nostrum plerumque *απύρετον* esse, supra jam annotavimus. Hinc ex sua natura fe-

febrem non accendere, satis, ni fallor, patuit; febriumque diversitas id adhuc magis confirmat, mox enim hæc, mox alia ejus species pelagrosos affigit. Neque salutare Naturæ conamen esse, quo morbum adeo pericolosum vincere tentet, eventus docuisse videtur. Nimirum, cum, ut innumera clarissimorum virorum observata testantur (*a*), in viscerum hypochondriacorum affectiōnibus & mania ipsa curandis tantam sæpe efficaciam monstrant febres supervenientes, præcipue

si

(*a*) Hipp. *aph.* sect. 7. *aph.* 52. Edit. Foëf. pag. 1260, quem nuper sic cecinit Clossius.

Si vehemens jecoris dolor est, accedere febrem
Votum est, qua pulsus corpore morbus abit.

Et *Epidem* lib. 6. sect. 6. No. 9. Foëf. pag. 1190. Cels. lib. 2. cap. 8. & recentiores innumeri. Nuper Monspellensis Auctor J. B. Jos. de Belgarric hac de re disputavit in specimine Academico: *An in morbis chronicis febris sit excitanda ad eorum curationem?* Vid. Cl. Blumenbach Medicinische Bibliothek T. 2. p. 134. Hocque Thema Medicorum societas Parisiensis nuper pro præmio exposuit, de cuius recuperatione præter alios, Viris mihi amicissimis Doct. van der Eem & van Leeuwen practicis Amstelodamensibus me gratulari posse, summopere gaudeo.

C 5.

si ex ordine intermittentium sint, ut Medici non pauci exoptaverint, ut illas febres ad libitum provocare possint, merito quis in Pelagroso morbo eas effectu non carere speraret. Sed spem fecellit experientia. Febris venit, remittit, abit, non tollit Pelagram. Cortice Peruviano nimis festinanter profligata, non alia relinquere mala videtur, quam quæ & homines non pelagrosi ab immaturo corticis usu pati solent (*b*). Inde patet, aliam subesse debere causam, quæ has febres accedit, quam Pelagra.

Arthritici, Rheumaticique dolores immaniter sape excruciant Pelagrosos, & nullus forte morbus est, qui saepius Pelagrosis ac tenacius inhæret, quam qui huc pertinent. Et quamquam non credam, Pelagram ex sua natura Arthritidem, Rheumatismum, similesque affectiones producere; diffiteri tamen non ausim, eam causam quodam-

mo-

(*b*) Fateor tamen, experimenta hac in re instituta mihi nondum sufficere. Neque quartanam febrem in Pelagrosis, nisi id urgerent aliæ circumstantiæ, subito profi- gandam suaderem: res ulteriori examine dignissima est.

modo prædisponentem constituere. Quin etiam illi morbi non tantum crebrius in his ægris, quam in aliis hominibus in illa regione obser vantur, verum in illis quoque ad omnia remedia rebelliores inveniuntur. Quam primum apparent, in vesicatoriis auxilium quærunt Medici. Sic narravit mihi historiam Cl. Stranchi. Femina pelagrofa doloribus dextri brachii vehementissimis afficiebatur, applicuit dolenti loco vesicatorium: evanuit dolor, sed altero mane idem brachium occupabat sinistrum, mox quoque hinc vesicatorio fugatur, sed ad artus inferiores sedem figit, & primo quidem in dextro femore, sed eodem remedio in sinistrum depellitur. Metuit nunc Cl. Stranchi, ne ulteriori vesicantium usu ad partes nobiliores depellentur morbosæ materies, ideoque abstinuit ab eo, & dolor ibi fixus hæsit. Sæpe etiam Moxam hoc scopo tentavit idem doctiss. vir, nec sine fructu, & quidem non tantum in rheumaticis, arthriticisque Pelagrosorum doloribus profuit, verum etiam ipsæ Pelagræ Moxa & fonticuli levamen

tu-

tulisse visa sunt, quanquam non semper; in nonnullis enim effectu penitus caruerunt, licet saepius, diuine applicata.

De Scorbuto fusius non nihil dicendum esse credo, cum non defuerint, qui Pelagram non nisi Scorbuti speciem esse autumarunt: quin & sub *scorbuti alpini* nomine descriptum fuisset nostrum morbum, percepit. Sic quoque Cl. Thieri morbum, quem describit, ex Lepra & Scorbuto compositum esse existimat, quo Cl. Sauvages & Sagar induxisse videtur, ut hunc morbum inter Lepræ species reciperent *Lepræ Asturiensis* nomine, quam cl. Sauvages sic definiit: *Est Lepra scorbutica cum tremore perpetuo capitis & trunci superioris apud Astures endemia.* Ast qui utrumque considerat morbum, ac Auctorum descriptiones cum nostro morbo comparat, insignem animadvertisit differentiam. Aliqua quidem similitudo, si obiter spectatur, cum Lepra præcipue Græcorum appareat, diligentiori autem examine hæc mox evanescit. A Scorbuto autem quantum distat? Etenim si lassitudinem, torporem, & an-

πεξειαν excipias, nullum Scorbuti symptomata sese prodit, nisi morbus sit complicatus. Nam Pelagroforum maculæ non tantum in eo à scorbuticis differunt, quod potius in carpo quam cruribus erumpunt; verum etiam colore totaque facie tantum discrepant, ut solo adspectu facile distinguantur. Sed quid multis opus? totus morbi decursus differentiam docet. Verum Scorbutus, licet dispar plane à Pelagra morbus, Pelagrosos tamen non minus, quin sæpius etiam quam alios in hoc Ducatu non infrequenter afficit, & in Lignanensi Nosocomio plurimos vidi, quorum gingivæ hoc morbo defœdatæ existebant. Neque facile quis hoc mirabitur; duplex enim ratio est, cur in Scorbutum proclives esse debent Pelagrosi. Primo namque certum est scorbutum præ reliquis facillime Melancholicos invadere. Hinc Eugalenus (*c*) internam Scorbuti causam in melancholici humoris exuberantia posuit. Idem credit Dolæus, dum de scorbuticis inquit:

(c) *De morbo Scorbuto* Amst. 1720. pag. 7.

quit: continens causa ipsius est humor melancholicus vitiosus (*d*), hincque Scorbutum sororem germanam affectionis hypochondriacæ vocat (*e*). Boerhaavius quoque ac ejus commentator Melanchiam, Maniam, labem hypochondriacam inter causas prædisponentes Scorbuti numerant (*f*). Altera ratio, quare Pelagrosi sæpius scorbutici sint, ex tristi & otiosa eorum vita petenda videtur; vidimus enim supra, eos ab omni laboris specie quam maxime alienos esse, otium autem inter primarias Scorbuti causas locari debere, docuerunt Boerhaave & van Swieten (*g*), idque extra dubium posuit Doct. L. Rouppe (*h*). Patet itaque, Scorbutum in Pelagrosis non aliter, quam morbum accessorium judicandum esse, hancque sententiam ejus cura confirmat, nimirum Pelagroforum Scorbutus, æque ac in aliis ho-

(*d*) *Encycl. Med. lib. 3. cap. 12. Oper. Francof. 1703. pag. 305.*

(*e*) *ibid. pag. 303.*

(*f*) *In Aphor. 1150.*

(*g*) *Ibid.*

(*h*) *De Morbis Navigantium L. B. 1764. pag. 100.*

hominibus, remediis antiscorbuticis ac justo regimine facile, nisi nimium progressus fuerit, sanatur, Pelagra ne minimum mutata.


De Phthisi restat ut videamus. Siquis hanc potius ad primam classem pertinere credat, non obloquar. Norunt enim Practici, quibus multos hypochondriacos videre contigit, hypochondriace ac hysterice affectis haud raro tandem à Phthisis pulmonalis symptomatibus, ultimum eorum ac funestum statum comitantibus, supremum diem claudi: hincque à recentioribus in systematibus suis Nosologicis ut species recepta est *Phthisis hypochondriaca* à Cl. Mortono jam dudum descripta ac historiis illustrata (*i*). Verum moriuntur plurimi Pelagrosi, in quibus nullum unquam Phthiseos vestigium reperitur; ideoque Pelagra quidem seminium huic morbo præbere, ast tamen aliud quid accedat desiderari videtur, sine quo Phthisis non producatur. Utrum nunc Phthisis hæc Pelagroforum cum Phthisi hypochondriacorum com-

mu-

(*i*) *Phthisiolog.* lib. 3. cap. 4.

muni conveniat, utrum eadem, quæ in hac medicamenta opem aliquam ferant, me ignorare, lubens fateor.

Hydrops quoque & Anasarca non raro exitia-
lia sunt Pelagrosis, quos frequentissime aggre-
diuntur: sic etiam in Asturia morbum sæpius
terminari per hydropem, notavit Cl. Thieri; &
Frappolli inquit: *Hydrops maxime & Pelagra*
lethalem efficiunt morbum, remedia quippe, quæ
huius profundunt, alteri nocent ægritudini.



C A P U T V I.

De Prognosi,

Si unquam ex parva scintilla magnum incen-
dium prædici possit, id certe in nostro hoc mor-
bo obtinet. Quis enim nisi expertus ab exigua
cutis affectione, vix ullis comitata molestiis tam
horrendum crudelemque morbum auguraretur?
Hinc pessima semper prognosis in quocunque Pe-
lagræ stadio; etenim nunquam non timendum, ne

in

in pejorem statum morbus sit ruiturus. Neque tamen penitus omni in casu desperandum. Qui per longam annorum seriem sola cutanea affectione laborarunt, absque aliis incommodis, iis certe spes aliqua affulget, fore, ut in confirmata Pelagram toto vitæ decursu non transeat; sunt enim Pelagrosi, qui, postquam diutissime in primo morbi stadio versati sunt, aliis longe morbis correpti è vita cedunt, ita ut nequaquam Pelagra mortis fomes dici possit. Præterea exstant observationes, licet raræ, quod non tantum ex primo stadio, verum è confirmata quoque Pelagra convaluerint ægri. Verum incerta tamen hæc omnia sunt, &, quantum scio, nulla adhuc certa prognostica signa existunt, ex quibus aut in sanitatem aut in pejus abiturum esse morbum prædici potest, si generalia, ac omnibus morbis communia excipias. Ideoque symptomatum gravitas, hominis constitutio, ac morborum complicatorum indoles omnem prognosin absolvunt. Sic si sanissimus cæteroquin homo, temperamento præditus sanguineo, levissima Pelagræ symptomata contra-

hat, hic facilius evasurus est quam alii, qui laxum habent fibrarum contextum, & atrabiliari, ut vocant, temperamento donantur; hi enim difficilis morbum pati solent. Si aliis ex superiori Capite allatis morbis Pelagrosos invadit, pro Natura hujus prognosis formanda. Febres, præcipue Intermittentes, minus timendæ, quam Cachexiæ aut Cacochymniæ. Periculofissimi autem sunt Phthisis & Hydrops, quæ vix unquam, licet in leviori adhuc statu sint, in Pelagrosis sanantur. Unicam tantum feminam optimo temperamento præditam ex hac evasisse meminit Cl. Frapolli, ubi, neglecta Pelagræ cura, omnis medela in Anasarcam dirigebatur (α). Hæc de Prognosi sufficient: cui enim bono generalioribus inhærere.

(α) Lih. cit. pag. 21.

C A P U T VII.

De Cura Pelagre.

Si Medicina prorsus perfecta esset, omniumque morborum causæ cognitæ, cognitaque apta singulis remedia, tunc certe à proxima causa omnis indicatio in curandis ægris desumenda foret. Ast quantum ab hac perfectione adhuc abest nostra scientia? Quot non existunt morbi, quorum causæ abditæ adhuc latent, atque inter hos nostrum quoque morbum pertinere, supra jam indicavimus. Quid autem in iis supereft, quam ex juvantibus & nocentibus prudenti judicio remedia desumere, atque ad Naturæ conatus, ægri desideria, symptomata vehementiora omni attentione respicere. Et non exigua sane commoda ex empyrica quodammodo hac methodo in Medicinam profluxere. Et quantum non in posterrum ab illa sperandum? Verum in illo, quem de-

scribimus, morbo, quamquam plurima tentata fuere remedia, nullum hucusque inveniri potuit, quod illi debellando par sit. Hinc non pudebat egregium virum Cl. Stranchi ingenue fateri, se nunquam pelagrosum sanatum vidisse, quem remediis sanitatem debere, affirmare audeat.

Patet itaque, omne, quod de Pelagræ cura dici possit, in eo tantum consistere, ut, quænam remedia, quoque eventu tentata fuerint, & quæ tentanda adhuc esse, ratio suadeat, paucis enarrem. In primo morbi stadio omnem fere spem ægri æque ac Medici in Balneis posuerunt. Atque hunc in finem Balneum patet ægris in Nosophorio majore Mediolanensi, quo catervatim confugere eos, ipse vidi. Frapolli etiam, se hac curationis methodo quam plures sanatos vidisse, testatur, & Balneo, Frictionibus, ac Diaphoreticis medicaminibus omnem curam absolvi, credit, nec mirum; nam si ex corporis insolatione, atque hinc impedita transpiratione totus penderet morbus, ut ille omnibus argumentis probare anni-

ti-

titur, iis remediis nihil consultius, nihil tutius adhiberi posset. Regulas autem sequentes balneantibus præscribit: Ventriculus ac intestina blandis eccoproticis, aut purgante medicamento à fordinibus liberentur. — Dein abdominalis statns explorandus, ut, si adsint obstruktiones, hæ auferantur. — 3°. Urgente plethora plus minus Venæ Sectio celebranda. — 4°. Potiones diluentes copiosas sumendas quoque præscribit, quem in finem serum lactis refrigerantibus & antiscorbuticis herbis alteratum commendat. — 5°. Denique lætus balneum ingrediatur æger, eoque hebdomadas aliquot utatur fretus spe recuperandæ valedudinis. Sunt sane hæc præcepta ejus generis, ut aliquid inde boni sperari posse videatur. Verum, ni fallor, nimiam in balneis fiduciam posuit Cl. Frapolli: interrogavi ipse plures ægros, qui per longum jam temporis spatium balneis usi fuerant, & nullum adhuc levamen se sentire, affirmabant. Quin & Medici Mediolanensis Nosocomii exiguum balnei virtutem confirmabant, & potius, ut voluntati plebis satisficeret, quam recupe-

randæ sanitatis spe hæc balnea illis permitti, aje-
bant. Si ad alterum stadium morbus progressus
fuerit, sæpe non tantum non prosunt Balnea,
verum etiam exasperant quandoque malum, ut
in morbi Historia prima, quam ex Frapolli infra
adducam, videre est. Interim tamen in hoc quo-
que statu Balnea adhibenda esse, credit Frapolli,
eo autem discrimine, ut diluentia, quæ in pri-
mo stadio balneantibus affatim haurienda præ-
scripserat, nunc omnino proscribantur, illisque
mixturæ cardiacæ, corroborantes substituantur,
ne viscera, quæ confirmari debent, nimium ener-
ventur. Quem in sinem quoque, si purgante
opus sit, tale adhibeatur, jubet, quod corro-
borandi simul potestatem possidet. Monet præ-
terea, vires aliquando adeo deficere, ut balneo
uti penitus nequeat æger. Atque tunc substi-
tuendas credit universales corporis frictiones,
frequentesque affectarum partium ablutiones, aut
fomenta ex decoctis emollientibus, feroque lactis
parata, remediis interea corroborantibus intrin-
secus exhibitis. Et hæc quidem methodus præ-
bal-

balneis mihi placeret (*a*), præcipue si æger ipse
has frictiones panno laneo sibi instituat. Sic
enim præter commoda, quæ ex frictione oriuntur,
eorum quoque particeps sit, quæ levis hæc com-
motio secum fert. Quantum autem ex bene in-
stituta frictione sperandum sit, quisque facile in-
telliget, modo ejus effectus diligentius nonni-
hil perpendat. Hæc enim vim vitalem miro modo
auget, cordis & arteriarum motum qui in nostro
morbo languet, quammaxime egregie incitat, per-
spirationem promovet, & circulationem in vasculis
minimis in actum dicit. Verum magna frictio-
num differentia est (*b*): quæ in nostro morbo
convenit, sic institui debet, ut corpus firmet, ac
circulationem augeat.

Videamus nunc de reliquis remediis, quæ hoc
in morbo adhiberi consueverunt. Ad evacuantia
quod attinet, hæc non, nisi omni circumspectione ,
ad-

(*a*) Nolim tamen, quis putet, me omnino balnei usum
in Pelagra rejiciendum velle.

(*b*) Hipp. *de Offic. Medic.* Foëf. pag. 746. & Cels.
lib. 2. cap. 14.

adhibenda videntur, præcipue Venæ Sectiones: ex iis inopportune institutis delirium vedit Cl. Frapolli (*c*) in primo morbi stadio, inopinatum sane ac insuetum in hac morbi periodo symptoma. Nec tamen in plethoricis omittenda est, quin & in secundo stadio, si maniæ vehementia, ac sanguinea corporis constitutio hanc postulant, in ipsis jugularibus eam instituendam suadet nominatus Auctor. Ac Hirudines quoque temporibus applicatas mira hoc in casu præstitisse refert (*d*). Ipsa etiam Arteriotome in hoc morbo ad aliquam vitæ prolongationem aliquando convenire videtur, tunc nimirum, si convulsionum epilepticarum vehementia mortem subitaneam ministetur. (*e*) Purgantia, siquæ adhiberi debeant; blanda semper elegantur, nec sufficit in secundo Pelagræ stadio blanda hæc esse, verum necesse quoque est, ut corroborantia simul juncta habeant.

Hinc

(*c*) Pag. 27.

(*d*) Pag. 29.

(*e*) Vid. quæ Dr. Johnstone habet in *Med. Obs. and Inquir.* Tom. 2. pag. 119.

Hinc laudat Cl. Frapolli Pilul. de Succin.
Crat. Mastic. similiaque. An Aloë blandum purgans?

Sudorifera ac Diuretica minus periculi habere videntur, præcipue in primo morbi statu, & dia-phoretica præcipue ad morbi curationem non exiguum conferre, credit sæpe nominatus Frapolli.

Epispastica, Sinapismi, Vesicatoria summopere quandoque juvant Pelagrosos, &, si arthritici, rheumaticive dolores accedant, ad hæc mox confugiunt Medici, ut supra dixi, & in confirmata Pelagra vesicatorium occipiti applicatum opem ferre non exiguam, Frapolli monet. Et nemo eorum utilitatem in dubium vocabit, si miram efficaciam perpendat, quam in morbis, qui cum nostro aliquam habere similitudinem videntur, ac in iis quoque, quæ tamquam symptomata Pelagram comitantur, affectionibus toties præstitere. Sed nolim fusius de vesicantium applicatione verba facere, cum viri duo Cl. Forsten & M. J. de Man fere exhauserint hanc materiem. Id tantum addere lubet, quod Cl. Stranchi in nostro mor-

bo vesicatoriis, utut saluberrimis, præferat fonticulos, setacea, ac præcipue Moxam, quam inter remedia hucusque tentata principem locum obtinere credit.

Roborantia cum causam mali tollere non valent; inter Pelagræ remedia recenseri vix merentur, verum tamen non omni utilitate distituta videntur, si eo usque progressus fuerit morbus, ut quam maxime debiles vitam trahant Pelagrosi: hisce quoque Chalybeata proficua fore, credit Frapolli, licet experimenta nondum instituerit: clysmata quoque chalybeata in alvum injicienda suadet, si diarrhœa nullis temperanda remediis ægrum prosternat. Cardiaca, Stimulantia moderate adhibita in secundo præcipue ac ultimo morbi stadio prodeesse, censet, dum pro potu, si absit sitis, ægris præscribit meracius vinum. Mox autem addit: *si vero patiens sitiat, serum lactis bibat tamarindinatum, emulsion. nitrat., ac aq. limon.* Sed contradicere sibi Auctor videtur, dum pergit: *simpliciter diluentia in confirmata Pelagra omnino sunt proscribenda.* Ad Cardiaca quod attinet, pu-

to non tantum in secundo ac tertio stadio, verum etiam in primo convenire, ut vires, quæ tunc adhuc vigent, sustententur, & sequens stadium antevertatur, differatur saltem. Adstringentia penitus à Pelagroforum cura arcenda videntur, nisi forte diarrhœa ægros nimium debilitans, remediis aliis incassum tentatis horum usum postulet.

Majorem autem efficaciam Resolventia in nostro morbo spondere videntur. Evidem, cum causa morbi penitus adhuc abscondita sit, nihil certi de eorum utilitate pronunciari potest, antequam experientia hanc demonstraverit. Nolim tamen hic promiscue tententur omnia, quæ huc pertinent remedia, sed ea præcipue, quæ in morbis quamplurimis, quorum proxima causa æque ac nostri latet, miracula præstitere. Præterea omnia tentanda videntur non ex resolventibus tantum, sed ex aliis quoque medicaminibus, quæ in morbis rebellibus variis, vim quasi specificam monstrant, *Cicuta*, *Stramonium*, *Hyoscyamus*, *Aconitum*, *Colchicum* aliaque similia, quæ quidem, licet effe-
ctum,

Etum, quem ex cl. Störkii observationibus sibi facile quis sponderet, non semper præstent, in nonnullis tamen casibus quammaxime efficacia sese exhibuerunt. Nonne Belladonna, quæ in morsu rabidi canis, in cancro, in mania aliisque desperatis morbis toties ex orci faucibus mortales eripuit, hic tentanda? Utrum Arnica, Camphora, quæ in morbis, ubi vires languent, ægros mirifice saepe reficiunt è Pelagrosorum cura penitus exulentur? objicit forte aliquis, ea, quæ hic proposui, remedia, in morbis à Pelagra toto cœlo diversis efficaciam præstare, ideoque malam inde ad nostrum morbum deduci conclusionem. Id equidem diffiteri non ausim, nec certo, hæc aliquid conferre, affirmem; verum cum tota fere cura ex juvantibus & nocentibus institui debeat, nefas crederem vel unicum efficax remedium intentatum relinquere. Sed præter jam dicta sunt quædam remedia, quæ præ reliquis omnibus adhiberi merentur in nostro morbo. Quis à Vero Albo, medicamento sane egregio, sed nostris temporibus nimis eheu neglecto effectum non

spe-

speraret? Laudes, quas jam olim Plinius huic herbæ tribuit, ad instituenda experimenta Medicis Mediolanensibus, ni fallor, sufficere deberent, dum inquit (f): *Medetur morbis comitialibus, vertigini, melancholicis, insanientibus, lymphaticis, Elephantiasi albæ, lepris, tetano &c.* Nolum hic de Helleborismo veterum multa proferre, licet melancholia & mania non minima Pelagræ symptomata sint. Sed quantum in aliis cutaneis morbis veratrum præstat? *Medicamentum proprium lepræ* illud vocat Falloppius (g); monet tamen simul, omnem cautelam in administrando hoc medicamine adhibendam esse, & ex radicis ejus decocto sæva admodum symptomata se vidisse, fatur. Nostris quoque temporibus suam efficaciam ostendit, & adhuc nuper à cl. Jac. Carm. Smyth ejus Tinctura commendata fuit (h): nauseam, quam forte creabat, sanabatur, dum eam in infuso.

(f) *Hist. nat.* Lib. 25.

(g) Tom. 2. Tract. 9. cap. 8. oper. Francofurti 1550. pag. 274.

(h) *Medical communications* Tom. I. pag. 207. & seq.

fuso Valerianæ exhibebat. Siquos medicamenti heroici, quæ agit, vehementia deterreat, ii faltem Helleborum Nigrum adhibeant, iisdem, ni fallor, viribus, sed minori longe gradu præditum. Nec minoris efficaciæ remedium in nostro mørbo Animale Regnum præbere videtur, si ex analogia argumentari fas sit, Cantharides enim in morbis non tantum cutaneis, sed & in aliis, qui analogiam quamdam cum nostro habere videntur, variis remediis frustra adhibitis, opem insignem tulerunt. In morbis enim omnibus, ubi stimulandum Vitale Principium, ac ubi simul resolvendum sit, non insimum locum inter remedia Cantharides obtinent. Cl. R. Mead experientia doctus in lepra efficacius nullum existere remedium, refert (*i*). Sed & in aliis cutaneis morbis promptum sese monstravit medicamen, quod adhuc nuper laudavit supra nominatus Smyth (*k*). Cumque experientia docuerit, earum acrimoniam, ac turbas, quas hinc quandoque in visceribus uropoieticis excitant,

ad-

(*i*) *Med. Sacra.*(*k*) *Loc. cit.*

adjecta Camphora mitigari, satis tuto hoc medicamentum administrari posse, autumo, modo ab exigua dosi incipiatur. De modo, quo Cantharides agant, utrum sanguinem condensent, an resolvant, hic non est disputandi locus (*l*): Sufficit indicasse, forsan eas in nostro morbo cum fructu adhiberi posse.

Sed sunt præter hæc innocua quædam medicamenta, quæ attentionem in curanda Pelagra merere videntur. *Viola Tricolor*, quam cl. Strack in *crusta lactea* tantopere laudat (*m*), postea sæpius in usum vocata, diligentiusque examinata in plerisque aliis cutaneis morbis insignem opem præsttit, ac pertinacissima profligavit exanthemata, ut plurimis observationibus in egregia sua dissertatione docuit Aug. Haase (*n*). Quis innocuum tale remedium in diro morbo non

ten-

(*l*) Pro utraque opinione experimenta adhuc certiora desiderari videntur, nec facile cum Burserio (*Instit. Med. Praet.* Lips. 1787. T. I. pag. 66.) risum & stomachum movere crederem, qui pro condensatione demicant.

(*m*) *De Crusta Lactea* Francofurti 1779.

(*n*) *Viola Tricolor* Erlang. 1782.

tentaret? Antiscorbutica efficaciora tentari quo^s
que merentur: quo etiam pertinet Galii Aparines
succus, qui, licet non multum hodie adhibetur,
diu tamen à Medicis inter remedia, quæ cutis
morbos sanant, recensitus fuit, nec inertem
esse hanc plantam, vel inde concludi potest, quod
non secus ac Rubia ossa tingere valeat, ut à
Cl. Guettardo jam diu demonstratum fuit (o):
sed nuper Joh. Edwards (p) eam penitus obli-
vioni eripuit, dum inter antiscorbutica reme-
dia hoc primarium locum obtinere afferit. Su-
perius quidem Scorbutum & Pelagram toto cœ-
lo differre, & antiscorbutica Pelagroforum Scor-
butum sanare intacta Pelagra indicavi; nolim ta-
men, inde quis concludat, omnia remedia ideo in
hac rejicienda, quoniam Scorbutum sanant. Quot
morbis non medetur Mercurius à Siphylide maxi-

me

(o) *Histoire de l'Academie de Sciences.* Année 1746.
pag. 98.

(p) *A Short Treatise on the plant called Goose grass.
or Clivers and its efficacy in the cure of the most inveterated scurvy* Lond. 1784.

me distantibus? Et licet quoque antiscorbutica Pelagram nihil emendent, tamen minime negligenda videntur, ut complicatio Scorbuti cum nostro morbo inhibeatur. Possem adhuc plura enarrare medicamina, quæ in variis morbis, quibus cum Pelagra affinitas, aut quædam saltem similitudo esse videtur, mira præstitere, verum ne nauseam lectori creëm; de similibus pharmaceuticis remediis tacebo. Sed sunt adhuc alia in nostro morbo, ni fallor, minime negligenda; quo primum pertinet Peregrinatio: nolim hic intelligi recentiorum peregrinationes per aëra, quas nuper in variis morbis proposuit Lud. Leulier Duché (*q*); sed eam, cuius efficacia in morbis longis jam olim Hippocrati innotuit (*r*), priscis temporibus maxime familiarem, de qua egregiam dissertationem olim conscripsit celeerrimus F. Hoffmann (*s*). Quid enim

(*q*) *Tentamen Medicum de aërostatum usū Medicinae applicando* Monspel. 1784.

(*r*) *Epidem.* 6to. Foëf. pag. 1185. & Aph. 46. Sect. 2. Foëf. pag. 1245.

(*s*) *De Peregrinationibus instituendis sanitatis causa vid. ejus oper. omn.* Genev. impreß. T. 5. pag. 320.

enim in morbis utilius esse possit, quam causas vitare: cum autem Pelagra morbus sit endemius, ideoque causæ, quæ eam inducunt, videantur in ipso hoc Ducatu residere, evitari nullo modo melius possunt, quam loci mutatione, & miror fane, de hac nondum magis fuisse cogitatum in sanando diro hoc morbo. Nolim tamen peregrinatione ægris certam promittere sanitatem, forte causa morbi jam intus suscepta in aliis quoque regionibus altius serpit, ac exitialis tandem evadit, non secus ac Lepra in calidis Americæ plagis suscepcta hominem in Europam reversum non deseruit (*t*). Minori tamen aliorum periculo suscipi peregrinatio potest in nostro morbo, cum hucusque nullum habeatur exemplum Pelagræ contagio propagatae.

Præterea Electricitatis vis, quæ toties in morbis gravissimis mira præsttit, ut hodie innumeros fere Auctoris confirmatur, in Pelagro quoque experiri summopere meretur, licet anno

1785,

(*t*) Vid. Cl. Hahn in *pref.* ad Schillingii *de Lepra commentat.* Lugd. Bat. & Ultraj. 1778. pag. 25.

1785, quo in hisce regionibus versabar, ut mihi persuasit cl. Stranchi, nondum tentata fuerit. Idem valet de vi Magnetica (*u*), non quidem illa Mesmeriana, sed vera, de qua tamen minus sperandum videtur.

In secundo Pelagræ stadio, ubi ægri mœrent, torpent, ac languentes Melancholici absque omni occupatione otiosi sedent, forte non frustra Scabië inoculatio institueretur; etenim Scabiem longissimis ac simul pertinacissimis morbis supervenientem eos haud raro sanare, satis superque notum est. Et jam Boerhaavius in Melancholicis sanationem speravit, si Scabies fœda, aliquando Elephantiasin æmulans superveniat (*v*); & Ill. van Swieten, se talem casum etiam in homine per plures annos melancholico vidisse, testatur (*w*). Sed præ reliquis hanc rem illustrat Sutor ille melancholicus, qui ad omnia fere immobilis, pali ad instar lecto insidebat, & interro-

ga-

(*u*) Vid. præ reliquis J. D. Reichel *de Magnetismo in corpore humano* resp. Chr. Ludwig. Lips. 1772.

(*v*) Aphor. 1110.

(*w*) In comm. ad hunc aphor. T. 3. pag. 508.

gatus ne verbulo quidem respondebat, à fortissimis vesicatoriis ne minimum afficiebatur, hunc sola Scabici inoculatione (*) restituit vir cl. Mutzell, ita quidem, ut elapsis tribus septimanis Nosocomium relinqueret (x). Nullus dubito, quin quisque, qui melancholicos Pelagrofos mecum contempletur, ac cum isto juvete comparet, mox idem adhiberi remedium suadeat.

Utrum Melancholia hæc Pelagroforum infarctum intestinorum comitem habeat, utrum adeoque clysmata resolventia (Visceral-clistern) à cl. Joh. Kämpf tantopere laudata (y) cum fructu hic adhiberi possint,

di-

(*) In methodum, qua in inoculatione usus est cl. Mutzel invehent absque dubio illi, qui Wichmanni opinionem amplectuntur: & non terminabuntur de causa scabië rixæ, donec Medici, duplicem existere scabië speciem sibi simillimam, perspicient. Qua de re forte plura alia occasione dicam.

(x) Casum hunc descripsit, ac ratiocinio illustravit J. Ulr. Toggenburger in sua diss. inaug. Argent. 1760, quam Diff. cl. Sandifort in suo *Thesauro Diff.* T. I. pag. 115. recudi curavit.

(y) Abhandlung von einer neuen Methode die hartnäckigsten Krankheiten die ihren siß im unterleibe haben, besonders die Hypochondrie zu heilen, Dessau 1784. cuius

librà

dicere non ausim? Sectio cadaverum, ac canalis
intestinorum curiosior speculatio, quæ sæpius in
cadaveribus negligitur, brevi rem extra dubium
ponere valerent.

In descriptione hujus morbi supra indicavi Pe-
lagrofos in statu maniaco inexplebili, ut submer-
gantur, desiderio, incontinenter ferri: cum autem
prudens Medicus, præcipue, dum morbi causam
ignoret, desideria ægrorum utut incongrua vi-
deantur, diligenter speculari, eaque non nisi be-
ne perpensa abnuere debeat; merito me hic in-
terrogare autumo: annon, Natura quasi indigi-
tante, si vires ægri id permittant, submersiones
in frigidam institui possint? præcipue, cum præ-
clarum submersionis effectum in maniacis plures
celeberrimi Medici, se observasse, testentur; & Boer-
haavius ipse de maniacorum cura differens inquit:
*Præcipitatio in mare, submersio in eo continua-
ta, quamdiu ferri potest, princeps remedium*
est

libri nuper editio nova emendataque, ac versio quoque
Belgica prodiit.

est (z). Attamen sæpiissime in Pelagrosis ob nimiam debilitatem adhiberi nequit.

Ad medicationes quod attinet crudeliores, ut sunt amputatio membra, in quo malum se primo manifestat, in Elephantiasi aliquoties pessimo eventu adhibita (a), aut castratio in curam Leprorum olim deprædicata, ac ad præcavendam rabiem canum nuper proposita, nullum Medicum adeo temerarium fore arbitror, ut ea in nostro morbo tentet.

Hæc de remediis, quæ meo judicio in Pelagrosis tentari possent, dicta sufficient: forte nimium hisce inhæsi. Supereft, ut quædam videamus diis, quæ hinc inde adhibita fuerunt. In Asturia femina quædam Plebeja in delirio morbi illius *mal de la rosa* dicti, insignem quantitatem butyri vaccini devoravit, & hoc solo curata fertur, referente cl. Thieri: utrum autem postea ulterius experimenta cum pinguedine & butyro instituta sint, ignoro. Idem cl. Thieri curavit semi-

nam

(z) *Aphor.* 1123.

(a) Schilling *de Lepra* pag. 19.

nam decem aut duodecim annos hoc morbo laborantem, & sanationis spe destitutam duorum mensium spatio Æthiope minerali, Antimonio crudō, & Croco Martis immixtis balsamicis & purgantibus, apto regimine, & ptisanis simul adhibitis. Hæc cl. Sagar induisse videntur, ut ajat de Lepra Asturiensi: *juvat mercurius, æthiops mineralis, antimonium, crocus martis, lac, butyrum, purgantia.* Hæc utrum in Lepra Asturiensi omnia profint, cum morbum non viderim, haud edicam, ad Pelagram quod attinet, non omnia æque tuta forent. De Purgantibus jam supra dictum fuit. Mercurialia autem vario modo, variaque forma se sæpius in hoc morbo adhibuisse, narravit mihi cl. Stranchi, ast nunquam sine damno, ideoque ea ex remediorum in Pelagra applicandorum numero jam dudum proscriptisse. Idem de Opio tulit judicium, quoties enim parca dosi adhibebatur, effectum plane nullum exserebat; si majori dosi adhibitum fuit, aperte semper nocuit. Attamen, ut vera fatear, Opium è Pelagrosorum Pharmacia exulare non penitus

posse mihi videtur; non quidem, acsi in curationem aliquid conferat, sed ut palliativum. Ad curandam Pelagroforum maniam frustra adhibetur, cum in aliis maniæ speciebus à præclarissimis viris adhibitum curam sæpe absolverit; sic quoque in convolutionibus, quæ tam enormes in hoc morbo observantur, parum ab Opio sperari posse, arbitrantur; verum in diarrhœa colliquativa nostris ægrotis adeo funesta, usus Opii negligi non posse videtur, præcipue si quantitate non adeo magna in anum injiceretur. Hac enim methodo administratum colliquativam hecticorum diarrhœam sæpe diminuisse, vedit cl. Cotunni (*b*), quam auxerat copia major deglutita. Sequitur adhuc aliud remedium à cl. Frapolli in Pelagra summopere laudatum (*c*) aqua nempe Thædæ ad uncias circiter VIII bis de die epota, à qua in confirmata etiam Pelagra curam speravit. Utrum adhuc cum fructu adhibeatur, ignoro, ne nomen qui-

(*b*) *De Ischiade Nervosa* Neap. 1764. Vid. in Cl. Sandi-fort *Thesauro Diff.* Tom. 2. pag. 437.

(*c*) Lib. cit. pag. 30.

quidem in Nosocomiis Mediolani ,Lignani &c. audi-
divi, & cum Frapolli tractatum postea demum
legere mihi contigerit, de hac Medicos interroga-
re in mentem non veniebat.

Finem nunc tractationi imponere possem,
verum cum jam nominatus Frapolli duas morbo-
rum historias adnexerit, in quibus methodum tradi-
dit, qua confirmatam Pelagram funditus cura-
vit, non ingratum Lectori fore, arbitror, si eas
verbotenus hic transcribam, præcipue, cum Fra-
polli libellus raro in nostris Regionibus invenia-
tur. Prima Historia hæc est: *Martha Borfanti*
loci Prignanæ annorum 30 circiter quatuor feliciter
ennixa fœtus, temperamenti sanguineo - lymphati-
ci, habitus corporis mediocris, tribus ab hinc an-
nis, neglecta jam pridem initiata Pelagra, inci-
dit in confirmatum morbum. Ægram hanc cu-
rrandam adiyi in Nosocomio die prima Augusti
præsentis anni. Explorata imi ventris viscera in-
veni sana, pulsus erat valde debilis, sed nulla fe-
bris, deèrat quoque alvi fluxus. Vertigines alia-
que capitis mala jam diu patiebatur, cutisque in

dorso manuum præcipue & pedum callosa; atro-
nita tunc videbatur mulier, non parum emacia-
ta, viribusque destituta adeo, ut pedibus minime
consisteret. Oris amaritatem, summamque inappe-
tentiam accusabat, linguaque albam superficiem
præferebat. Leni igitur eccoprotico ægrotam pur-
gavi ex flor. Cass., & pill. Succin. Crat. desum-
pto. Post ad triduum omni mane lactis serum tartari-
zatum exhibui, mixturas deinde corroborantes ex
aq. Artemis. Meliss. tot. Citr. ana unc ij. confect.
alcherm. 3j. Liq. c. c. succin. Æ sem. per diem affu-
mendas præscripsi. Hisce peractis Balneo pelagro-
sam tradidi, sed malo omine, Balnea etenim tol-
lerare non potuit ægra virium defectu. Quamob-
rem extrinsece universales corporis frictions, ex-
tremitatum maxime, fomenta affectarum partium
ex Decoct. emollient., aliquando cucurbitulas, se-
mel hirudines temporibus admoveere jussi, intus ve-
ro aquam Thædæ ad 3vij. bis quotidie haurien-
dam præbui, usque ad novum monitum. Aqua
Thædæ usa est patiens ad duodecim dies, miro
quidem quidem juvamine, vires enim summopere

recuperavit. Cum vero hisce remediis alyus plus,
quam par est, styptica esset, Eccoproticum denuo
propinavi die vigesima quinta ejusdem mensis,
idemque vigesima septima reiteravi prospero even-
tu, continuatis interim frictionibus. Post hæc, con-
valescente ægra, lautiorem dietam, meraciusque
vinum ad unc vj. quotidie exhibui, exceptis car-
nibus, quæ nunquam convenient in morbis impe-
ditæ transpirationis. Interea cœpit Mulier hila-
ris esse, corpus enutririri, sanusque color in facie
efflorere, ex lectulo surgere, ambulare, in omnibus
bene se habere, lætaque tandem domum petiit die
undecima septembries. Altera Historia hæc est:
Ex ordine venerandi vigilantissime capituli No-
socomii majoris mihi tradita est, ut ei operam
præstarem, Franciska Cajellina loci Vergiati, die
tertia Augusti currentis anni. Fæmina hæc æta-
tis circiter annorum quinquaginta, temperamenti
atrabiliosi, validi, carnosique Corporis habitus,
spreta jam diu initiata Pelagra, devenit hoc an-
no in confirmatam ægritudinem. Eadem fere enar-
xit Patiens morbi symptomata, ac Martha Bon-
fan-

fanti; pulsus tantum tardus erat, nec adeo debilis, viresque in reliquo corpore constantiores, in extremitatibus nullæ. Purgavi & hanc consueto medicamine. Post aliquot dies sumendum exhibui decoct. Cephalic. cum Tinct. Succin., dein ingressa est Balneum ægra ad dies quindecim. Hisce confectis mæstam adhuc fæminam esse, nec satis viribus pollere obfervavi. Quamobrem frictiones universales, sæpe cucurbitulas adhiberi, semel hirundines temporibus admoveri, nec non vesicatorium occipiti applicari præscripsi, atque ex hoc potissimum plurimum juvaminis. Aquam Thædæ ad aliquot dies sumpsit ægra, corroborantes dein mixturas; cumque in dies mulier convalesceret, leniorrem diætam permisi, tandemque & ista abiit incolumis. Pertinacior autem fuit in hac fæmina morbus ex pessimo temperamento, uti superius adnotavi. Adnectit demum, se adhuc plures referre posse ægros eadem fere methodo omnes curatos. Verum si adeo certa esset hæc methodus, non tantum à Pelagra periculum metuendum foret, ac à Medicis Mediolanensibus minime negli-

gligeretur. Ideoque aut malignior hodie morbus est, aut Frapolli nimium à sua methodo speravit.

De Prophylaxi Pelagræ pauca differenda supersunt. Frapolli dum ex insolatione sola omnem morbi causam derivat; facile quoque remedium prophylacticum reperire potuit: effugiant nempe vernali tempore solares radios. Quod autem cum rusticis impossibile sit, tegendum corpus omni, quo fieri potest, modo suadet. Galerum gestiant agricolæ palearem valde latum, crura caligis, manus tegant chiroticis, abluant sæpius corpus. Verum cum supra, ni fallor, satis demonstraverim, hypotheticam esse hanc causam, ac Insolationem ad producendum dirum hunc morbum minime sufficere; cadit quoque hæc prophylaxeos Doctrina, nec aliam substituere hactenus, quo cauſæ morbi adhuc latent, licet. Ideoque sic Pelagræ descriptionem ad finem perduco. An autem felici aut infeliori conatu hunc laborem susceperim, tibi L. B. judicandum relinquo.

F I N I S.

